



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio I. Argumentum. Defferitur quid, & quotuplex sit Peccatum? Quot in casibus peccatum mortale transeat in Veniale? Et è contra Veniale transeat in mortale? An peccet qui internis coginationibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)



DECISIONES MISCELLANÆ.

DECISIO PRIMA.

ARGUMENTUM.

Differitur quid, & quotuplex sit Peccatum? Quot in casibus peccatum mortale transeat in Veniale? Et est contra Veniale transeat in mortale? An peccet, qui internis cogitationibus libidinosus neque assentit, neque dissentit? Et an ille, qui ex nimia ira solet blasphemare? Prudentialiter autem ponuntur remedia adhibenda, ut populus evitet verba obscœna.

S U M M A R I U M.

1. Peccati definitio, & divisio.
2. Regula ad discernendum peccatum mortale à Veniali.
3. Mortale peccatum, quando transeat in Veniale?
4. Parvitas materia in quibus casibus non excuset à mortali?
5. Morus quot sint in agente?
6. Veniale quot in casibus fiat mortale?
7. Cogitationibus libidinosus expresse dissentendum.
8. Consuetudo blasphemandi non excusatur ob iram.
9. Verba obscœna ob rationes quatuordecim evitanda.

Ad infra scripta Quæstia, & Causæ DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.



Ad Primum. Quid sit peccatum? Alii, esse recessum à regula Divina voluntarium. Ex Toler. lib. 3. c. 1. Alii, esse dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Ex D. Aug. contra Faustum lib. 22. c. 27. Alii, esse actum malum interiore, & exteriori. Ex Magist. sent. dist. 35. lib. 2.

Ad Secundum. Quotuplex sit peccatum? Alii, tot esse species peccatorum, quot virtutes, quibus opponuntur. Joseph Aug. in brevi not. de Sac. Panir. n. 33. Plures, alia esse peccata commissionis, & alia omissionis. Utraque vel esse peccata cordis, vel oris, vel operis. Toler. lib. 3. cap. 2. Item alia esse peccata immediatè contra Deum, alia contra Proximum. Item alia esse contra iustitiam, alia contra charitatem. Reginald. lib. 15. cap. 1. 2. & 3. Filiuc. tract. 21. c. 6. n. 24. Deinde, ferè omnes concludunt, peccatum esse duplex Originale, & actuale, quod subdi-

Doct. Clericari Tom. II. Lib. IX.

videtur in mortale, & veniale. Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 1. n. 3.

Ad Tertium. Quæ, & quot sint Regula ad discernendum peccatum mortale à Veniali? Alii, attendendam esse gravitatem, vel levitatem materiæ. Ex Coton. lib. 1. contr. 1. c. 4. n. 68. Plurimi hanc Regulam generalem notarunt, videlicet, peccatum fieri mortale, ubi graviter lædatur Charitas Dei, vel Proximi, vel sui ipsius. At, ad cognoscendam læsionem gravem charitatis, dari sequentia signa. 1. Si Deus per eam culpam comminetur in sacris litteris exclusionem à regno cœlorum; ut Fornicator, aut immundus, non habet hereditatem in regno Christi. Ephes. 5. 2. Si talis actio declarata sit mortalis per Ecclesiam. 3. Si Viri docti, & prudentes judicent eam culpam mortalem. 4. Si virtus aliqua Theologalis offendatur. 5. Si præcepta Decalogi confringantur. 6. Si repugnet Præceptum Ecclesiæ, vel Superioris sub pœna peccati mortalis. 7. Si quid sit iustum, vel vetitum sub pœna excommunicationis. Ita ex Tambur. in Decal. lib. 1. c. 1. §. 2. & ex Mastrio in Theol. Moral. disp. 15. n. 48. & 49.

Ad Quartum. Quot in casibus peccatum mortale transeat in Veniale? Multi, in duobus casibus; nempe ex levitate materiæ, & ex actus imperfectione. Toler. lib. 3. cap. 1. At studiosiores addidere, mortale transire in Veniale in tribus casibus. 1. Ob parvitatem materiæ (exceptis odio Dei, ejusque contemptu, Violatione virtutum Theologicarum, Perjurio assertorio deliberato, Magia, Simonia, Re Venerea ob libidinosum finem, irritatione Sacramento- rum, Violatione Sigilli Sacramentalis, ac naturalis jejunii in sumpturo Eucharistiam, in quibus omnibus parvitas materiæ non excusatur à mortali.) 2. Ob imperfectam deliberationem, ut in Semidormiente, vel Semiebrio, vel in agente cum repentino motu; quo loci notarunt, tres dari motus. Primo primum, in quo nulla est advertentia, & sic nulla culpa, quamvis in re gravi. Secundo primum, in quo imperfectè, & confusè homo advertit, & in hoc culpa mortalis transit in Venialem. Et tertio primum, in quo res seriò consideratur, & in re gravi culpa est semper mortalis. 3. Ob ignorantiam non omninò crassam. Ita ex Tamb. in d. lib. 1. cap. 1. §. 3.

A

Ad

6 Ad Quintum. In quor, & in quibus casibus peccatum Veniale transeat in mortale? Ferè omnes scribere sex in casibus. 1. Respectu ultimi finis, ut si quis mendacium dicat pro committendo adulterio. 2. Respectu contemptus, ut si quis contemnat Superiorem licet in re non gravi. 3. Respectu periculi labendi in mortale. 4. Respectu conscientie erronee. 5. Respectu scandalii. 6. Si plura venialia concurrant ex unione ad faciendum unum mortale, ut si quis sæpè comedat parum in die jejunii. Ita ex Azor. part. 1. lib. 5. c. 9. q. 15. & ex Tamb. d. lib. 1. cap. 1. §. 4. His adde septimum, si ex re levi fiat damnum grave, ut furando acum Sutori aliam non habenti. Vide mea Erotemata c. 1. n. 5.

AD PRIMUM CASUM.

Ioannes sæpè sapius internas paritur cogitationes libidinosas, quibus non dat assensum, sed neque etiam positivum dissensum. Quaritur, an peccet?

7 Tres relatæ sunt opiniones. Prima, quod dictus Joannes peccet mortaliter, quia licet non det assensum formalem, dat interpretativum, qui æquivaleret formali, & in delectationibus Venereis facit culpam mortalem. Ita Valent. tom. 2. disp. 6. q. 4. p. 3. Becan in Theol. Scol. par. 2. tr. 2. cap. 5. q. 5. n. 4. Secunda, quod peccet tantum venialiter, quia admittit cogitationes saltem vanas, & inutiles Azor. p. 1. lib. 4. c. 9. q. 7. Fumus in Summa Armilla Verb. Cogitatio sub n. 4. Tertia, quod neque mortaliter, neque venialiter peccet, tum quia illæ cogitationes non sunt actus voluntatis, sed intellectus, tum quia nullum est peccatum, ubi nullum est præceptum; sed circa dictas cogitationes præceptum est non consentiendi; non autem repellendi. Cajetan. Verb. delectatio morosa, & Bonac. de matr. q. 4. p. 7. n. 8. Dux ultimæ opinionis improbabilis non sunt, ut docet Diana coordinatus to. 8. tractat. 9. resol. 8. Prima tamen probabilior est, & securior, ac in praxi servanda; quia dicit Scriptura Sacra quasi conquerens Usquequò morabuntur in te cogitationes noxia? Jerem. 4. 14. & Isa. 1. 16. Auferte malum cogitationum vestrarum.

AD SECUNDUM CASUM.

Petrus ex nimia ira solet blasphemare: de hoc se accusat in confessione. Quaritur, An peccet?

8 Ferè omnes observant illa duo Verba Nimia, & Solet. Nam ex verbo Nimia (quod significat excessum magnum rei, cui adjicitur ex Cic. Tusc. 4. & ex Tacito lib. 19.) dixerunt, Petrum non peccare, quia absque deliberatione, & ex subreptione iræ blasphemare videtur. S. Th. 2. 2. q. 13. art. 2. ad tertium. Farinac. de Penis temper. q. 91. n. 10. At ex Verbo Solet, quod consuetudinem significat, censuerunt, Petrum mortaliter peccare, quando non dat operam, ut consuetudinem illam deponat. Ex Suarez de Religione tom. 2. lib. 3. c. 8. & Layman. lib. 1. tr. 2. cap. 3. num. 6.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

9 Quæ remedia sint adhibenda, ut populus evitet verba obscena? Responderunt, inculcandas esse sequentes rationes. 1. Quod ipsimet Ethnici illa abhorrebant, unde agebat Cato Virtutem primam esse puto compefcere linguam. 2. Quod Omne verbum oriosum, quod locuti fuerint homines, reddent

rationem de eo in die Judicii. Matt. 12. Ergo ed rigo-rosius de verbis turpibus, & obscenis. 3. Quod verba turpia frequenter esse possunt peccata gravia ratione scandalii, aut mali finis. 4. Quod quando etiam non excedant malitiam peccati venialis, puniendi erunt acerbissimo igne Purgatorii. 5. Prædicandum esse præceptum correptionis fraternæ, ut quilibet audiens verba turpia possit corrumpere ea proferentes. 6. Hortandos illos, qui ad hæc sunt proclives, ut agant penitencias voluntarias toties, quoties verba obscena protulerint. 7. A Parochis esse crebrò reprehendendos sermones turpes, & laudandas virtutes modestiæ, & honestatis verborum. 8. Moneatur populus, ut postulet à Deo gratiam evitandi talem defectum linguæ. 9. Quod quilibet fidelis quotidie proponat linguæ custodiam. 10. Recordentur omnes, esse semper, & ubique in Dei præsentia. 11. Quod maculati hoc crimine confiteantur cum dolore, & vero proposito emendationis. 12. Parochi narrent exempla ultionis Divinæ in eos, qui fuerunt pessimæ linguæ, & turpiloqui in sermonibus. 13. Confirmet has reprehensiones auctoritate SS. Patrum, utpotè S. Ambrosii lib. 2. offic. cap. 3. S. Gregorii moral. lib. 7. cap. 12. S. August. in Ps. 140. Ultimò Parochi proponant suis populis considerandam æternitatem, horribilem gradum mortis, severitatem Judicii Divini; & quàm magnum sit, salvare animam propriam, ne damnetur perpetuis tormentis inferni, sed ut adipiscatur æternæ gaudia Vitæ. In his argumentis toto spiritu immorentur Parochi, ex quibus fiet, ut quisvis licet pessimus convertatur, & dicat, Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Meditatus sum nocte in corde meo; exercitabar, & scopebam spiritum meum. Psal. 76. 7. & per consequens linguam meam.

DECISIO SECUNDA.

ARGUMENTUM.

Agitur de Metu, & de Ignorantia, & quibus in casibus excusent peccantes à mortali? Media adhibenda, ut populi accedant ad discendam Doctrinam Christianam.

SUMMARIUM.

1. Metus quid sit? & quoruplex?
2. Ignorantia quid, & quoruplex sit?
3. Metus quando excuset à peccato, & quando non?
4. Ignorantia quando excuset, & quando non à culpa?
5. Famuli inservientes Domino in rebus peccaminosis ob metum gravem, peccant mortaliter.
6. Ignorantes mysteria principaliora fidei non sunt absolvendi.
7. Industria decem, & octo ad conducendos populos ad discendam Doctrinam Christianam.

Ad infra scripta Quaestæ, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dicere.

AD Primum. Quid, & quoruplex sit metus? Alii ex Cicerone lib. 4. Tusc. quasi. Esse opinionem impendentis mali. Alii ex Ulp. in l. 1. ff. de eo, quod met. caus. Esse instantis, vel futuri periculi causa trepidationem mentis. Alii ex Aristotele Rhetoricor. lib. 2. cap. 5. & ibi Sylv. Mauro Soc. Jesu voluerunt, Esse motum appetitus irascibilis, quo quis horret grave malum futurum, apprehensum ut proximum & difficile quod fugiatur. Omnes autem scribere, Metum alium esse ab intrinseco,